



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ
propositiones, & alia

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 3. Nunquid Christus Dominus ante resurrectionem fuam, postquam
scilicet egressus est è deserto, prædicavit Pœnitentiam, cùm dixit, Matth.
4 Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum Cœlorum; ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-40817

De Sacram. Pœnitentiæ. Cap. II. 7

Quoniam igitur, inquit, conversionis modus proprius esse debet peccatoris, & necesse est ut fructus ferantur qui deceant resipiscentiam, juxta quod scriptum est, facite fructus resipiscentiæ dignos, ne comminatio, quam subjecit, locum habeat, si fructus defuerint (nam omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem conjicitur) necessarium est ut iis fiat confessio peccatorum, quibus dispensatio Mysteriorum Dei concedita est. Nam hoc pacto, & qui olim inter sanctos Pœnitentiæ egerunt, fecisse reperiuntur. Scriptum est enim in Evangelio, quod Joanni Baptista peccata confessi sint. In Actis verò, Apostolis à quibus baptizabantur, peccata sua confessi sunt omnes.

S. Basilius. In
Regulis con-
tractioribus.
Regula 188.

Sanctus Augustinus ait: *Amisâ confessione, non erit locus misericordiæ: tu factus es peccati tui defensor, quomodo erit Deus liberator? Ut ergo ille sit liberator, tu esto accusator.*

S. August. in
Psal. 68. con-
cione 1, in
fine.

Quæst. 3. Numquid Christus Dominus ante Resurrectionem suam, postquam egressus est è deserto prædicavit Pœnitentiæ, cum dixit Matthæi cap. 4. *Pœnitentiæ agite, appropinquavit enim regnum Cœlorum*, quæ verba declarare videntur, eum instituisse Sacramentum Pœnitentiæ ante suam Resurrectionem?

Resp. Non loquebatur in hoc loco Christus Dominus de Pœnitentiæ Sacramento, sed tantum de virtute Pœnitentiæ ad præparandum homines ad fidem, & Baptisimum, & ad suscipiendum Pœnitentiæ Sacramentum, ut notat Divus Thomas, dum ait: *Dominus in principio prædicationis suæ indixit hominibus, ut non solum pœniterent, sed etiam pœnitentiæ agerent, significans determinatos modos actuum, qui requiruntur ad hoc Sacramentum, postmodum instituendum.*

D. Tho. 3. p.
q. 84. art. 7.
in corp.